

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 50. (*Neovidensis* 1806. Nro. 43.)

Ex Campis Elysiis
Dissertatio Politica
De incertitudine rerum futurarum.

Elysiium. -- Meum. -- Die Martis 10. Junii 1806. (Neov. 27. Maji.)

Sententia

Quid agam, quo me vertam, nescio.
Querela universalis.

Hoc thema mentibus Regum, Principum, civium, & rusticorum impressum est, cum hoc vadunt cubitum, e lecto se proripiunt, & sibi obvii facti, vel se adeuntes, de futuro suo statu, de fati Magnorum, & parvorum confabulantur, & quæ ex his omnibus conclusio? Quisque ingenue fatetur suam ignorantiam, quisque de omni futura mutatione, imo de propria sua crastina existentia affirmat: — Quid agam, quo me vertam, nescio.

Acerba vivimus tempora, queritur quidam germanicus Paterfamilias; si sæculo prius fuisset natus, vel centum annis tardius, aurea nobis fluxissent sæcula. Interim eruditi, qui præteritorum temporum historiam litteris consignarunt, narrant, etiam Majores nostros sperande ac saos de iniquitate temporum in amatos

questus fuisse solutos, in orbe terrarum semper omnia fuisse perturbata, bellum, famem, & pestem miserandum in modum sæviisse. Quid hinc inferam? — Quid agam, quo me vertam, nescio.

Ago pacem; verum tempore belli curiosius inquirō, quisnam gerat justum. Diu propugnavi libertatem, existimans cum ea omnia ex sententia processura. At mutata est scena, jam iterum uous dominatur omnibus. Breui victoriæ modum excedent; Interim alii eas laudant dicentes, si possemus, nos quoque idem faceremus. Cujus sententiam approbem? — Quid agam, quo me vertam, nescio.

Æstimo scientias, & si alias aliquem librum in eruditis ephemeridibus laudari legi, persvasum habui, illum esse bonum, mihi que comparavi. Nunc diversos tales rerum eruditarum volvo commentarios, sed quod in his celebratur, vituperatur in aliis. Cui habeam fidem? — Quid agam, quo me vertam, nescio.

Magni facio bonas artes, & pro mea animi remissione cum voluptate lego, quod attentionem excitat. Olim id facili negotio cognovi, unus enim erat ea de re omnium sensus, quod orbis universus terebat, ejus lectio animum quoque meum recreavit. Nunc ingens copia ephemeridum mihi in ædes adfertur, multaque in illis, sed nulla consideratione digna commendantur. Præterea tam diversa ibidepromuntur judicia, ut, quem li-

brum iste emendum per superos orat, eundem alter vitandum per omnia sacra svadeat. Cui geram morem? — Quid agam, quo me vertam, nescio.

Singulari amore feror erga theatra, de quibus libenter sermones misceo. Productæ sunt quondam excellentes comædiæ, quæ omnibus placebant, quæ propter nullus dubito, eas egregias fuisse. Nunc sæpe numero audio, refertas esse magnis erroribus, eoque tendere, ut auditoribus imponant, eosque moveant. Cæterum fateri cogor: Comædiæ mihi hucdum arrident, sed pudet me hoc palam facere, dantur enim eruditi, & perspicaces viri, qui in longe alia sunt opinione, & multi iis adherent. An recte sentiant? — Quid agam, quo me vertam, nescio.

Cum primis addictus sum Religioni, & adeo diligenter ecclesias. Sed admonitus sum, ne omnia crederem, ipsi Pastores affirmarunt, ad salutem consequendam necessarium tantum esse bene agere, in hoc consistere summam rei. Ex illo tempore subit animum cupiditas diem Domini in quiete transigendi. Sæpe tamen me occupo lectione librorum de Religione conscriptorum, in quibus cum admiratione reperio, nos in discrimine versari, ne fiamus Hottentottæ, & Pagani, a vera fide desciscentes, utque de hoc periculo meas proles commonefaciam. Ego quidem nihil adhuc mali animadverti, attamen ea res ingentem animo sollicitudinem incutit. Quid factio opus? Quid agam, quo me vertam, nescio.

Cordi mihi est etiam patriæ amor, gratissimumque semper mihi fuit, videre omnes consentientes, suoque Principi summam venerationem exhibentes. Cum autem modo Principes ita frequenter permutent suas provincias, vacillare aliquantum cæpit meus in patriam amor. Cæterum — hæc ipsa rerum omnium inconstantia indifferentiam quamdam mihi conciliavit, jam enim nihil moror, unicuique Principi declarare, me voluptatem haurire incredibilem, quod ejus imperio subiectus sim, Constantem paratas asservo lampades, ut, quamprimum classicum insonuerit, eas accendam: Eædem sunt, quæ jam penultimo Principi lucebant, novo tantum oleo replendæ sunt.

Hac ratione eo adhuc potest deveniri, ut affirmem, quod non credo, defendam, quod non scio, laudem, quod non intelligo, mihi persvadeam, quod non percipio, & agam, quod non volo. Sed quid aliud faciendum? — Quid agam, quo me vertam, nescio.

Hactenus spe lætabar, bellum inter Angliam, & Borussiam esse tantum dissensionem ad tempus, illudque brevi in universalem pacem butyri instar resolvendum. At in allatis Bitavo-Lugdunensibus ephemeridibus attentus lego sequentem articulum:

Londino 16. Maji. Jaksonius a Rege Berolino revocatus, die 12. hujus Jarmuthum appulit, debuitque nulla interposita mora se Londinum conferre. Illico post ejus adventum celebratum est in urbe principe Status

consilium, cui ille intererat, & Rex præsedit. Conclusum, & omnibus significatum est, ut Bellum Borussiae indictum, quod hæcæus cautionis instar spectabatur, pro verocum omnibus suis formis habeatur. In eodem Status consilio dedit Rex mandatum, ut omnes actus, tempore belli consueti, legitimi sint; Data est facultas in omnibus maribus capiendi naves Borussicas. Propediem comparebit genuina belli declaratio contra Borussia in Aulicis ephemeridibus.

Hic multi anxii sunt de insula S. Helena, inde enim jam a tribus mensibus nulli nuntii advenere.

Juxta relationes ex oris Africae de 18. Martii videntur gallicæ naves ibidem excubantes nostro commercio non mediocre damnum intulisse.

Sex numerantur classes, quas galli in altum promoverunt.

Nonnullas naves hispanicas excurrisse ex portu Carthaginis novæ certum est, putantur nocte diei quartæ hujus fretum pone Gibraltariam transisse.

Hodie, ut fama fert, destinatæ ad Indiam orientalem copię vela solvent.

Heu! in magna confusione, & perturbatione versamur; — Quid agam, quo me veritam nescio.

In ea eram semper opinione, gallicum exercitum in Germania morari propter occupatum a Russis Catarum, non levi peresus sum so-

latio audiendo Imperatorem Russiæ Petropoli declarasse, ejus copias inde excessuras. Verum rumoribus a sinistra Rhæni ripa sparsis, circonfertur ingens copia vestitus militaris, aliarumque rerum missa esse in Bavariam, Sæviam, & Franconiam. Præfeti pecuniæ publicæ exercitus Argentorati congregati cum stipendio duorum mensium concesserunt ad suas legiones, & ad redintegrandum exercitum conscripti milites proficiscuntur ad suas stationes. Narrantur etiam complures legiones obtenturæ subsidia. Multus quoque apparatus bellicus iterum trajecit Rhenum.

Huc accedit etiam id, quod Monitor de Constantinopoli in hunc modum exponit: Gallicus Secretarius Jaubert missus erat in Persiam, quid ei acciderit, jam integro anno nihil comperimus, neque dubitavimus eum mortuum. At nunc redditæ sunt ejus litteræ negotiorum gestori Ruffinio, e quibus patet, eum illico post susceptum iter, in gigante Præfeto Mahmoud, a tyrannide, lucri cupiditate, et divitiis celeberrimo, qui videtur favores Russorum aucupari, cum violatione Persici territorii captum, rebus suis spoliatum, obscuro carceri mancipatum esse, eique sæpius mortem intentatam. In hoc statu 8 menses transegit, usque dum ad mandatum Vizirii Jussuf ad castra deduceretur, quo tempore eundem etiam Tabrisio adveniens persicus officialis nomine Regis Persarum libertati restituendam postulavit. Jaubertius probe conservavit sua scripta, & inter ea litteras

ad Regem Persiæ datas, jamque advenit ad destinatum suum locum. — In epistola Alepo 1. Martii missa Anglicus Consul Parker accusatur de nece gallico legato Alexandro Romieu, Bagdadum proficiscenti per Sultanum Aga Præfectum militarem Moussolinensem illata, factumque hoc probatur litteris d. & Consulis ad Sultanum Aga exaratis, in quibus eisdem pro hoc ausu 5000 piastrorum promissa sunt. Prototypon harum litterarum dicitur esse Bagdadi depositum.

Ad tales narrationes quid agam, quo me vertam, nescio.

Semper animo reputabam non erupturum Borussia inter, & Sveciam bellum, disparibus enim gereretur viribus. At nuncii Bero- linenses de 17. hujus ita habent: Generalis excubiarum Magister Bronikovsky, Sux Regiæ Majestatis alarius adjutor ex sua in primarium Svecicum hospitium missione die 14. redivit, sed allatum Sux Svecicæ Majestatis responsum non facit spem conservandæ inter utramque Gentem pacis. Eadem die Excellentissimus Status Minister Comes Haugwitz se Potsdamum contulit, sed 15. iterum reversus est. — Pasevalko lætus apportatus est nuncius, Generalem equitatus, Comitem Kalkreuth e morbo convalescere. Principio statim Sua Majestas ejus imperio concedidit copias in limitibus Pomeraniæ congregandas, quarum partem efficiunt etiam legiones Promareschalli Comitis Schmettau. De nulla mutatione Ducum est hic sermo. Campi Ma-

reschallus Möllendorf Berolini degit, Pro-Ma-
reschallus autem Rûchel in suis bonis — Hoc
puncto temporis jussi sunt præsidarii se pa-
rare ad proficiscendum, jam etiam tormenta
convehuntur.

Heu! vœ mihi misero! Nunc tandem vere
possum affirmare: — Quid agam, quo me
vertam, omnino nescio.

Resolutio Problematis No 27. propositi.

Sit medius numerus clientum = x ; media
differentia feliciter, & infeliciter terminatarum
causarum = y ; consequenter felices causæ =
 $x + y$, amissæ autem = $x - y$, & obtentii

Imperiales = $\frac{4x^2}{4} = x^2$. Nascuntur sequentes

æquationes: $(x + y)^2 - (x - y)^2 = \frac{x^2}{2}$, seu

$4xy = \frac{x^2}{2}$, vel $x = 8y$. Porro: $(x + y^2)$

$(x - y) = x^2 - 25$: id est: $y^2 = 25$; unde
 $y = \sqrt{25} = 5 =$ mediæ differentiæ; ergo x
 $= 8 \cdot 5 = 40 =$ medio numero clientum.

Hinc $2x = 80 =$ clientibus, deinde cau-
sæ, quas lucratus est = $40 + 5 = 45$, amissæ
autem = $40 - 5 = 35$. ac denique $x^2 = 1600$
Imperialibus.

Isacus Schuster,

Francofurtensis tabellarii filius.

Hoc problema rite resolverunt Viennensis
Fran. Hösch. Stryensis Benedictus Losy de Lo-
senau Offenbachensis G. H. Ehler. Cornelius
Bielezky Piarista. Detmoldiensis S. A. Mayer,
et Manheimiensis Joannes Aumann.